

107e

T. o. 590.

5

Fortunante CHRISTO!
EXERCITATIONUM ETHICARUM
ad Lib. III. Ethic. Nicom. Arist.

QUARTA

DE

**FORTITVDI-
NE ET TEM-
PERANTIA,**

PRÆSIDE

D.N.

FRIDERICO CAHLENO

M. & P. L. C. Gymnasii Hallensis Recto-
re clarissimo, Præceptore ac Hospite suo
perpetuâ animi fide colendo.

RESPONDENTE

CHRISTIANO WOLDREICHIO,
DITHMARSO,

Athenas Rostochienses abituriente

P. P.

XVI. KAL. MARTI, A. O. R. CI^o I^o C LVI.

H. L. Q. S.



Prelo SALFELDIANO.

VIRIS

*Nobili, Magnifico, Amplissimo, doctrinâ
praclarâ, scientiâ rarâ, prudentiâ politicâ,
virtute eximiâ Conspicuo*

DN. JOHANNI PETRÆO, In-
clytæ Reip. Rostochiensis COS. dignissi-
mo, gravissimo.

*Premodum Reverendo, Excellentissimo,
Clarissimo*

Dn. HEINRICO HONICKHUSIO,
Canonico Ratzenburgensi Spectatissimo,
Prudentissimo.

Prudentissimo ac Politissimo

DN. DETHLEVO LUCHTIO,
Arctoæ Dithmarsiaë Scribæ Provinciali me-
ritissimo, fidelissimo.

Prudentissimo, Integerrimo, Spectatissimo

DN. CHRISTIANO WOLDREICH,
Civi & Mercatori patriæ primario.

*Mecenatibus, Musagetis, Promotoribus, respe-
ctivè Affinibus, Parenti filiali pietatis &
observantia cultu colendis, observandis*

Hasce studiorum suorum primitias
offert, dicat, consecrat,

CHRISTIANUS WOLDREICH, R.



ΚΤΡΙΕ ΒΟΗΘΗΣΟΝ!

ΠΡΟΠΑΙΔΙΑ ΑΝΑΛΤΤΙΚΗ

PARTIS POSTERIORIS LIBRI III.

ETHIC. ARIST. PER VII. CAPP.

POSTERIORA.

Absolutâ priore Libri III. Ethic. parte, quâ de principiis & causis actionum moralium egerat Aristoteles, nunc posteriore parte ejusdem libri in specie de ipsis virtutibus agere incipit. Harum nos præmittimus **DISPOSITIONEM GENERALEM**, deinde specialem hujus Exercitationis ἀνάλυσιν tradituri. **VIRTUTUM** alia sunt absq; gradu, alia cum gradu. Illa vel morales sunt, vel intellectuales. Morales iterum sunt vel simplices vel composita. Illa respiciunt vel interna vel externa. Interna respicientes, vel versantur circa appetitum irascibilem, ut Fortitudo: vel concupiscibilem, ut Temperantia. Externa respicientes sunt vel perfectæ vel imperfectæ. Illa considerantur vel extra conversationem, vel in conversatione.

A 2

Extra

Extra conversationem vel circa divitias occupantur, vel circa honores. Divitiae vel sunt mediocres, vel magnae. Circa illas est Liberalitas, circa has verò Magnificentia. Honores itidem sunt vel magni, & est Magnanimitas, vel mediocres, ut Modestia. In conversatione, vel respiciunt iram, ut Mansuetudo, vel animi facilitatem, & tunc vel in seriis occupatur, & quidem vel quoad personas, & est Humanitas, vel quoad res, & est Veracitas. Vel in ludicris, ut Urbanitas. Imperfectae virtutes sunt tum Verecundia, tum Tolerantia. Composita virtus moralis est Justitia. Haecenus morales. Intellectuales vel sunt simplices, & quidem vel cum discursu, vel absq; discursu. Illae vel sunt circa necessaria, & est Scientia; vel circa contingencia, consistuntq; vel in actione, ut Prudentia; vel in effectione, ut Ars. Absq; discursu est intelligentia. Vel compositus habitus, ut Sapientia.

IN SPECIE verò Aristoteles Parte posteriore, Libri hujus Tertii de duabus agit Virtutibus Cardinalibus FORTITUDINE scilicet & TEMPERANTIA. DE FORTITUDINE quidem, partim ejus naturam explicando, partim species enumerando. Natura patet tum ex definitione,

ne,

ne, tum affectionibus. Circa illam exponit potissimum obiectum, quod est vel generale scilicet formidabilia & fiducialia, vel speciale, ut mors bellica. Cap. 6. Illud porro considerat Aristotel. vel absolute tum quoad materiam, quod sint ea, quae robore animi & corporis propulsari aut nequeunt, & vocantur $\epsilon\pi\epsilon\sigma\ \alpha\upsilon\ \delta\epsilon\omega\pi\omicron\nu$, supra hominem, ut sunt: eluviones, terra motus, fulmina fulgura &c. aut possunt, & vocantur $\kappa\alpha\tau\ \alpha\upsilon\ \delta\epsilon\omega\pi\omicron\nu$, secundum hominem, quae à viro cordato sustineri possunt. Tum quoad formam, ut virtus fortis in periculis sit imperterritus, certis tamen adhibitis cautelis, de quibus in Theob. Vel respective, tum quoad extremorum oppositionem, qualia sunt vel in excessu $\delta\epsilon\gamma\sigma\acute{\upsilon}\tau\eta\varsigma$, audacia; vel in defectu, $\delta\epsilon\lambda\iota\alpha$, timiditas. Tum quoad eorundem affinitatem, quae est tum inter fortes & audaces in genere, tum inter illos & $\alpha\upsilon\tau\acute{o}\chi\epsilon\iota\gamma\epsilon\varsigma$ in specie. Cap. 7. Species Fortitudinis vel sunt non verae, quando quis pericula subit vel coactè, ut est fortitudo Politica, vel spontè, sed propter mercedem, ut militaris seu experimentalis. Vel ex affectu tam irae, & est iracunda fortitudo: vel Spei, & dicitur fiduciarum vel deniq; per ignorantiam, scilicet periculi. Vel vera, scilicet spontanea,

nea, & civilis ab honestate & rectâ ratione profecta. Cap. 8. Affectiones deniq; Fortitudinis considerantur vel respectu objecti, quod magis versetur circa formidabilia, quàm fiducialia: vel respectu finis, quod in fortitudine sit aliquâ voluptas. Cap. 9. Sic de Fortitudine.

DE TEMPERANTIA agit partim in genere, tum quoad Definitionem, partim quoad objecti considerationem: quod tum constituitur, nempe Voluptas corporis: tum exponitur, scil. voluptas circa gustum & tactum. Cap. 10. Partim in specie tum quoad distinctionem, tum affectionem. Distinctio concernit tum objectum, scil. voluptates, quæ vel communes & naturales, vel propriæ & adscititiæ: tum Extrema ipsa, quorum alterum peccat in excessu, & est ἀκολασία, seu intemperantia, alterum ἀνανδυσία, sensuum stupor. Affectio viri temperantis est immoderatâ voluptatum appetitione & perfruitio-
ne. Cap. 11. Quibus deniq; subjicitur quæstionum aliquot dubiarum, quoad intemperantiam, enodatio. Cap. 12. His prelibatis jam ad Theses ipsas Bono cum DEO accedimus.

EX

EX CAPITE VI.

THESIS I.

Inter virtutes morales Aristoteles re-
lè Fortitudinem præmisit.

ἐκθεσις.

Quanquam omnes virtutes morales vi-
deantur ortu, dignitate, utilitate & neces-
sitate convenire; tamen non defuisse Philoso-
pho causas suas credendum est, quare Fortitu-
dini primas dederit. 1. *propter objectum*; quia
circa maximè ardua & difficilissima versatur.
2. *ob subjectum*: quia est propria viri virtus, ra-
rior verò & imperfectior in foeminis. 3. *ob*
adjunctum; quia actus ejus est plerunq; publi-
cus, & pro bono patriæ publico. 4. *ob effe-*
ctum; quia Religionem salvam, Rempubli-
cam incolumem, familiam securam benefi-
cio hujus Virtutis servamus. 5. *ob decorum*.
quia hujus virtutis actiones maximum ha-
bent splendorem & admirationem. 6. *ob*
ipsum Alexandrum M. cujus in hac virtute stu-
dium & encomium erat præcipuum.

Fortitudo est mediocritas circa me-
tum & fiduciam. Ἀνδρεία ἐστὶ μεσότης τοῦ
φόβου καὶ θάρρους.

ἐν θεοῖς.

Anteqvam hanc Definitionem realem
evolvamus, præmittemus definiti *Etymolo-*
giam & Homonymiam. Fortitudo Latinis dici-
tur à *forti*, quia fortissimis opus est factis ad
comparandam hanc virtutem: vel à *ferendo*,
quia fortis ardua & difficilia ferre & sustinere
cogitur: juxta *Ciceron. 4. Question. Tusculan.*
Græcis dicitur *ἀνδρεία*, ἀπὸ τοῦ ἀνδρῶς, à viro:
Non quòd in solos viros cadat: (nam & foe-
minas interdum virili animo præditas, & sic
hujus virtutis capaces esse, tum ratio svadet,
tum experientia:) sed quòd maximè digna
sit sexu virili, in eoqve frequentius, quàm in
muliebri reperiat. *Multiplex* aliàs vocabuli
Fortitudinis occurrit *acceptio.* 1. *improprie*, &
tribuitur *tum brutis*, estqve idem ac *animositas*,
v. g. Leo dicitur fortis, quia est animal ani-
mosum. Vel *robur*, sic tauri dicuntur fortes,
ob vasti corporis molem: tum *inanimatis*
rebus,

rebus, pro munito & ferè insuperabili, sic tur-
 res dicuntur fortes, & castella fortia: tum de-
 niq; *hominibus*, ubi sumitur vel pro divitiis &
 nobilitate, sicut *Plautus in Trinum.* A. 5. sc. 2.
 v. 9. dixit: fortem familiam. Vel pro *robore*
corporis. 2. *Proprie, seu Ethicè* & vel *generaliter*,
 pro animi firmitate in obeundis actioni-
 bus honestis utriusq; fortis, vel *specialiter* pro
 habitu virtuoso mediocritatem servante circa
 metum & fiduciam, quæ acceptio est hujus
 loci. Quomodo 3. *mysticè & Theologicè* usur-
 pari solet de DEO, Angelis, & sanctis homi-
 nibus, videri potest apud Autores. Nos brevi-
 tati litandum hic ducimus. *Realem definitio-*
nem quod spectat, definiuntur omnes ferè vir-
 tutes subintellecto Genere, per differentiam
 & Objectum, quæ est habitus definiendi usita-
 ta ratio. Genus itaq; *ἁπλοῦς* supplendum
 erit: nempe, *Virtus moralis.* Talem verò es-
 se Fortitudinem, liquet ex se, & probari facili-
 mè potest: ex definitione virtutis ut & ex sub-
 jecto, proprio, usu & actu fortitudinis, prout
 ipsa *συζήτης* evincet.

Objectum Fortitudinis duplex est, internum & Externum.

ἐκθεσις.

Quoniam *metus & fiducia* dupliciter accipi solent, 1. *naturaliter seu Physicè*, quatenus sunt affectus seu passiones animæ sensitivæ: 2. *moraliter & Ethicè*, quatenus ex habitu agentis modum excedunt & inter quæ fortitudo medium ac modum servat: Ideò duplex faciunt ejus objectum, *internum* sc. estq; *affectus* ille in rebus formidabilibus & fiducialibus in in excessu vel defectu peccans, uti sunt h. l. *metus & fiducia*, circa quæ Fortitudo, tanquam circa materiam internam versatur. *Externum* verò quodnam sit, sequens Thesis ostendit.

THESIS. IV.

Objectum externum Fortitudinis est ut idem duplex, generale & speciale.

ἐκθεσις.

Generale dicitur, quod in omni actu fortitudinis deprehenditur, estq; vel *primarium*, sc. τὰ φοβερά, seu *formidabilia*, & quæ metum incutunt: vel *secundarium*, sc. τὰ παρραλέα, seu
fida-

fiducialia, & quæ confidentiam pariunt. Illud igitur rectè statuitur primarium obiectum, 1. quia virtutis proprium est, circa difficiliora versari. 2. quia in formidabilibus splendor fortitudinis est illustrior, quàm in fiducialibus. 3. quia illa magis perturbant animum, quàm hæc. Non autem intelligenda hîc sunt *quævis formidabilia*. Illorum enim quædam sunt *ὑπὲρ ἀνθρώπων*, i. e. *supra hominem*, quæ majora sunt, quàm ut possint ab homine contemni aut sustineri, v. g. Eluviones, terræ motus, fulmina, tonitrua &c. Alia sunt *κατ' ἀνθρώπων*, i. e. *secundum hominem*, quæ ab homine cum ratione & modo tolerari & superari possunt: hæc posteriora constituunt obiectum generale fortitudinis.

THES. V.

Formidabilia in genere sunt *quævis* mala: sed circa illa non equaliter versatur fortitudo.

ἐν θεοῖς.

Sunt enim illa vel *majora & atrociora*, quæ ab omnibus promiscuè sunt metuenda, v. g. dedecus, infamia, scelera, amissio veræ religionis,

nis, libertatis patriæ &c. quæ nolle metuere turpe esset. Vel sunt *minora*, quæ citra reprehensionem metui & non metui possunt, dummodò culpa absit, v. g. invidia, paupertas, morbus, captivitas, exilium, &c. In his omnibus fortitudini nullus est locus.

THES. VI.

Objectum speciale Fortitudinis est Mors, Et potissimum bellica.

ἐκθεσις.

Φοβερώτατον ὁ θάνατος ὁ πέρας γδ. *Terribilissimum omnium mors*, inquit *Aristoteles*: *Finem enim imponit*, & omnibus bonis hominem exsultat, omnemq; spem, quæ sola mortalibus in solatium est relicta, adimit. *Mors tamen bellica* cum primis hîc intelligitur: *Illa enim est honestissima & pulcherrima*: 1. quia in honestissimo periculo appetitur: 2. utilissimo fine publico suscipitur. 3. æterna fama illam consequitur. Nam in reliquis periculis & mortis generibus vir fortis se quidem decenter gerit, & animo præsentis & constanti sese esse comprobatur: maximè tamen dolet, sibi morte ingloriosâ & inutili pereundum esse. *Vid. Nicol. de Orbellis ad 3. Nicom. e. 6.*

C.A.

CAPUT VII.

THES. VII.

VIR fortis intrepidus quidem est, sed non omnis metus & doloris vacuus.

ἐνθεσις.

Est enim homo, & non brutum, aut lapis, sine omni sensu & affectu. Certè nisi dolorem perciperet, non esset fortis, cum nihil ipsi esset formidabile. Quod si tamen honestas postulat, pericula non declinat. Non quidem quævis temerè adit pericula, sed tantum ea, quæ honesta sunt: & hæc quidem subit cum consilio & ratione, publicæ utilitatis & honestatis causâ. Non desinit tamen esse fortis, licet ob honestam aliquam causam pericula nonnulla metuat.

THES. VIII.

EXtrema Fortitudinis sunt, in excessu quidem ἠθροσύτης, sive audacia; in defectu verò δειλία sive timiditas.

ἐνθεσις.

Audacia est vitium morale, peccans in excessu circa metum & fiduciam. Et complectitur tum ἀφοβίαν, quæ peccat in excessu circa me-
tum,

ium, nihil planè timendo: tum *θρασύτητα*, audaciam propriè sic dictam, nimium confidendo. *Timiditas est vitium in defectu peccans circa terribilia.* Quò referunt nonnulli *ἀνελπίστων* i. desperationem, quâ quis in timendo modum excedit, omni spe abiectâ.

THES. IX.

Fortes & audaces circa eadem quò-
dem versantur, sed diversimodè.

ἐκθεσις.

Nam 1. fortes cum ratione adeunt pericula; sed audaces temerè. Illi sunt 2. constantes; hi verò inconstantes. 3. Illi ante periculum sunt quieti & modesti: hi verò clamosi, contumeliosi, jactabundi & fugitivi: Unde & vocantur *θρασύδειλοι*, cum audaciâ timidi.

THES. X.

Aγρόχειρες s. qui sibi ipsis manus violentas inferunt, non sunt fortes.

ἐκθεσις.

Quia 1. hoc faciunt ex animi impatientiâ. 2. Non honestatis gratiâ, sed mali fugâ. 3. quia mors illa Reipubl. non est utilis. *Vid. Giphani ad Ethic. Aristot.*

CA-

CAPUT VIII.

THES. XI.

Species fortitudinis non vera, sed analogica ab Aristotele quinque enumerantur.

ἐκθεσις.

1. Videlicet politica seu civilis, πολιτικὴ, 2. experimentalis, ἐμπειρικὴ. 3. iracunda, ὀργιστικὴ. 4. fiduciaria, ἐλπιστικὴ. 5. per ignorantiam, ἀγνοίαν. Sufficientia harum specierum colligitur ex tribus fortis viri requisitis: quæ sunt 1. cognitio. 2. electio. & 3. finis, qui est honestas. Ex defectu finis oritur prima & secunda. Ex defectu electionis oritur tertia & quarta. Ex defectu verò cognitionis, oritur quinta & ultima.

THES. XII.

Fortitudo civilis & militaris non sunt vera species.

ἐκθεσις.

Illa quidem, quia aut spe præmiõrum, aut metu poenarum: vel etiam necessitate & legum coactione suscipitur: sed quia pro patriæ salute adhibetur, magis accedit ad fortitudinis

nis

nis naturam, quam militaris. Hæc verò, quâ milites freti arte & experienciâ fortiter contra hostem pugnant, non est vera fortitudo, quia
 1. est per artem & experienciam acquisita. 2. est fugitiva. 3. lucri causâ suscepta.

THESES. XIII.

Nec furiosa, nec fiducia, nec ignorata fortitudo, vera sunt species fortitudinis.

ἐκ θεσις.

Furiosa quidem 1. quia ex affectus impotentia periculum non satis expendit. 2. quia est bestiis quoque communis propter vindictam. *Nec fiducia*, 1. quia nimis certo præsumit victoriam, & semper se superiorem fore confidit. 2. quia potius est audacia, dum prius isti homines quidem bene sperant; sed postea frustrati fugiunt: verè fortes econtra semper magno animo pericula honestatis causâ subeunt. Nec denique *ignorata*, quia ratione destituitur, cum tamen ^{omnis} ~~his~~ virtus ratione regatur. 2. datur etiam in peris & inexpertis, 3. non est diuturna & stabilis hæc fortitudo: cognitis enim periculis tales fugiunt.

THE-

CAPUT IX.

THES. XIV.

Fortitudo magis versatur circa for-
midabilia, quàm fiducialia.

ἐκθεσις.

Quia circa hæc fortiter agens magis lauda-
tur. 2. quia in his vis & efficacia fortitudinis
magis potest perspicui. 3. quia difficilius ob-
jectum, adeo quæ laudabilius est; juxta illud:
χαλεπὰ τὰ καλὰ: *Difficilia quæ pulchra* 4. quia
vulgò ii tantum solent appellari fortes, quæ
circa formidabilia præsentia, & magno sunt
animo.

THES. XV.

Non est absurdum, actiones fortitu-
dinis cum molestiâ & dolore con-
junctas & tamen jucundas quoque esse.

ἐκθεσις.

Considerantur enim illæ dupliciter, vel ab-
solutè & in se; & sic sunt molestæ, difficiles &
dolorosæ, vel respectivè & quoad finem, & sic
sunt jucundæ, quia ob felicitatem & honesta-
tem seu gloriam suscipiuntur. Et 2. sicut in
ludis gymnasticis verbera tolerantur ob lau-

B

dem

dem & gloriam: ita in fortitudine labor & molestia omnis spe victoriae & laudis abstergetur.

THES. XVI.

VIR fortis, dum dolet mortem suam, non desinit esse fortis.

ἐκ θεοῦ.

Dolorem sentit, ut homo, 2. tanquam vitâ dignissimus. 3. tanquam spoliandus per mortem maximis bonis suis. 4. tanquam publicè non amplius usui futurus post mortem, quam tamen nihilominus fortiter sustinet.

THES. XVII.

Militēs mercenarii non sunt fortes propriè loquendo.

ἐκ θεοῦ.

Quia 1. temerè & inconsultò vitam quasi prostituunt. 2. non honestatis, sed lucri & prædæ captandæ gratiâ in hostem ruunt. Hucusq; de Fortitudine.

CAPUT X.

DE TEMPERANTIA.

THES. XVIII.

Post Fortitudinem agendum immediate de Temperantiâ est. ἐκ θεοῦ.

ἐκθεσις.

Quia subiectatur in eadem animi parte cum fortitudine. Utraque enim hæc virtus inest in potentiâ appetitus sensitivi: Fortitudo quidem in irascibili; temperantia verò in concupiscibili. 2. quia ut illa externam oppugnat violentiam: sic hæc internam domat concupiscentiam. 3. quia hæc est illius optima ministra, & prudens directrix.

THES. XIX.

TEMPERANTIA est mediocritas circa voluptates & dolores. Ἡ σωφροσύνη ἐστὶ μεσότης περὶ ἡδονῶν καὶ λύπας.

ἐκθεσις.

Definitio notanda tum etymologia, tum homonymia. Dicitur verò temperantia à temperando, quod est rem certo ordine, mensurâ ac tempore administrare: quia temperantia est quasi cynosura inordinatorum appetituum, & censura affectuum. Vel à temperante, in quo solum reperitur. Græcè est σωφροσύνη, quasi σωζουσα τὴν φρένα, conservatrix mentis, quia ex temperatâ victus ratione, & moderato voluptatis usu mens rectè se habet: cum e contra

B 2

eum

eum, qui intemperanter vivit, iudicium perversum habere necessum sit. Quoad *Homonymiam*. Sumitur vox temperantiae vel *improprie*, pro *simulacro* quodam seu analogicam temperantiae notam, prout *brutis* etiam tribuitur, ut *apibus, cicadis, &c.* apud *Aelian. l. 5. de nat. anim. cap. 11. & lib. 2. cap. 26.* Vel *proprie*, & quidem *generaliter* pro moderatione omnium affectuum, ut apud *Cicer. L. 5. de Finib.* vel *specialiter*, pro virtute morali, quae gulae ac Veneri recte docet moderari. Uti h. l. accipitur. Definitio realis constat 1. *Genere* (subintellecto,) sc. Virtus. 2. *differentiam*, mediocritatem servans. 3. *Objecto*, quod sunt voluptates & dolores.

THES. XX.

Objectum Temperantiae est voluptas corporis.

ἐκδεσις.

Cum enim *Voluptas* duplex sit: *animi*, quae consequitur operationem animae, nihil patiente corpore: & reperitur in intellectu, ut amor virtutis, doctrinae, honoris, &c. Et *corporis*, cuius causa est aliqua actio corporalis.

vid.

Vid. Johan. Buridanus in Eth. Arist. Circa illas
 Temperantia non versatur: quia v. g. qui vo-
 luptatem capit ex honore vel nimium vel
 convenienter, non propterea dicitur tempe-
 rans aut intemperans, sed φιλότιμος seu ambi-
 tiosus: neq; ex sapientiâ voluptatem capiens
 ita dicitur, sed φιλόσοφος, seu amans sapien-
 tia. Ergo voluptates corporis tantum sunt ob-
 jectum hujus Virtutis.

THESES. XXI.

Non omnis voluptas corporis, sed ea,
 quæ circa duos sensus, scil. gustum
 & tactum versatur, constituit objectum
 temperantiæ.

ἐκ θεσεω.

Non enim versatur circa eas, quæ pertinent
 1. ad visum: siquidem nemo ex nimio intuitu
 pulchrarum picturarum intemperans per se
 dicitur. 2. neque ad auditum: quia nemo su-
 pra modum cantilenis seu avisionis delectatus
 dicitur intemperans. 3. neque ad olfactum:
 quia nemo ex eo, quod florum aut cibi odore
 nimio per se delectatur, intemperans vocatur,
 nisi fiat ex accidenti & propter ipsum usum

B 3

aut

aut participandi desiderium. Relinquitur ergo id, quod in thesi asseritur.

THES. XXII.

Temperantia magis circa tactum, quam gustum versatur.

ἐν ἁποσ.

Nam voluptatum tactus major est usus, quam gustus: ratio est: 1. quia gustus tantum est in lingua & palato, tactus vero in omnibus corporis partibus. 2. gustus non nisi per tactum fit jucundus. 3. gustus, quia talis, consistit in iudicio saporum, in quo iudicio, ii qui iudicant, non multum delectantur. Intelligitur vero hic non quævis voluptas ex tactu quovis: nam quæ ex frictione aut calefactione sanitatis causâ susceptis percipitur, ob illam nemo temperans aut intemperans appellatur. Ergo specialiter intelligendæ sunt voluptates, quæ ex cibo, potu aut Venere percipiuntur: quia hæc talia sunt maximè delectabilia.

THES. XXIII.

Species Temperantiae sunt duæ: Frugalitas & Castitas.

ἐν ἁποσ.

ἐν γένει.

Quia facit ad *conservationem* vel *individui*, & tunc requiritur *cibus & potus*; vel *speciei*, & requiritur *Veng.* Voluptatem ex cibo & potu temperat *Frugalitas*; ex Venere oriundam moderatur *Castitas*. *Frugalitatis* porro *duæ* sunt *species*: 1. *Abstinentia*, quæ servat modum in capiendo cibo, naturæ nostræ & rectæ rationi congruentem. Et *Sobrietas*, servans modum in bibendo, naturæ & rectæ rationi convenientem. 2. *Castitas*, quæ servat modum in voluptate Venerea secundum præscriptum rectæ rationis,

CAPUT XI.

THES. XXIV.

Cupiditates voluptatum vel sunt communes seu naturales, vel adscititia & peculiare.

ἐν γένει.

Illæ, quæ omnibus hominibus, imò ipsis etiam brutis insunt, & ad conservationem *speciei* à naturâ sunt datæ, ut generatio: cum individuum non possit conservari æternum. Vel *individui*, ut nutrimentum, quo homo

B 4.

vel

vel brutum alitur & sustentatur assumendo cibum & potum. *Accersitæ* verò non sunt omnibus animantibus ingenitæ, sed pro variâ temperamentorum diversitate variant: unde alia animalia expetunt gramina, alia legumina, alia carnes, alia aliis delectantur & vescuntur.

THES. XXV.

Circa cupiditates naturales & adscititias nõ peccatur uno eodemq; modo.

ἐν θεοῖς.

Circa illas plerumq; in excessu: quia multi reperiuntur homines abjecti, helluones, ac comedones, qui plus cibi & potus sumunt, quam naturæ satis est, corpusq; distendunt, & ad ebrietatem prolabuntur, bestiis ipsis deteriores, quæ nullâ vi cogi possunt ad ingerendum cibum aut potum naturæ suæ inconvenientē. In accersitis verò cupiditatibus peccatur potissimum quinque modis: 1. in modo. 2. quantitate. 3. qualitate. 4. tempore. 5. loco.

THES. XXVI.

Formale Temperantiæ consistit tum in mediocritatis observatâ regulâ, tum in extremorum fugâ.

ἐν θεοῖς.

ἐκθεσις.

Mediocritas quidem illa circumstantias probè observat & examinat *ratione* 1. *Subiecti*. Nam aliæ voluptates conveniunt pueris, aliæ senibus, aliæ principibus & magnis viris, aliæ rusticis: aliæ virorum sunt, aliæ mulierum voluptates. 2. *Objecti*; aliæ sunt honestæ, aliæ inhonestæ. *Temperans enim honestas tantum expetit voluptates, presentibus moderatè utitur, absentibus verò non immoderatè dolet, aut nimio desiderio earum tenetur.* 3. *Finis*: qui est honestas, sanitas, & famæ celebritas.

THESES. XXVII.

Extrema Temperantia duo sunt: *intemperantia*, (ἀκολασία) & *sensuum stupor*, (ἀνασθησία).

ἐκθεσις.

Intemperantia est vitium morale in excessu peccans circa voluptates. Sub hac continetur *Voracitas*, quæ circa cibum; *Ebriositas*, quæ circa potum; *Libidinositas*, quæ circa Venerem in excessu peccat. *Stupiditas* verò est vitium morale in defectu peccans circa voluptates gustus & tactus. Hoc posterius vitium, quia est

B s

taris-

rarissimum, & à naturâ humanâ alienum, cò
quòd homo principium sentiendi & discer-
nendi objecta sensibilia cum brutis commu-
ne habeat, iccirco caret nomine proprio. & à
Philosopho vocatur *ἀνασθησία*, *insensibilitas*,
quâ quis veluti sensibus captus omnes etiam
necessarias & honestas voluptates adsperna-
tur, nec quicquam dolet ex ipsarum absentia.

CAPUT XII.

THES. XXVIII.

Intemperantia magis est vitium, quàm
timiditas.

ἐνθεσις.

Quia 1. est magis voluntaria. Intemperans
enim sponte peccat, timidus ex metu, ideoq;
quodammodo invitus agit. 2. quia illam fa-
cilis vitare possumus. 3. quia plus damni af-
fert quàm timiditas, iccirco & 4. magis vitu-
peranda.

THES. XXIX.

Intemperantia non immerito ab Ari-
stotele ἀκολασία dicitur.

ἐκθ. Est enim à pueris desumpta appellan-
di ratio, qui dicuntur ἀκόλαστοι, non castigati.

Sicut

Sicut verò illi, nisi castigentur, fiunt petulantiores: ita & intemperantes, nisi seipfos coerceant, fiunt intemperantiores. 2. Sicut pueri quasvis sine discrimine voluptates amplectuntur: ita & intemperantes. 3. Ut pueri pædagogogo habent opus: ita intemperantes rectæ rationis ductu.

CONSECTARIA.

1. Fortitudo bellica non dedecet Christianos.

Ulli enim sic exigente & humanis necessitatibus, jure gentium constituta sunt bella, quæ toleranda 1. ob humanæ societatis inter Christianos conservationem. 2. quia nec Evangelium politias abolet. 3. mandata sunt à Deo. 4. Exemplis Sanctorum utriusq; Testam. confirmata. Sed abusus hic tollendus, & injuria.

2. Non sunt fortes, qui arte magicâ membris suis stuporem inducunt.

Sunt enim nimis audaces & temerarii. 2. sub vexillo Diaboli stipendia merent, à quo & tandem justa accipiunt in inferno præmia. 3. non propter virtutem & honestatem, sed ex levitate & impietate hoc agunt.

3. For-

3. Fortitudo potius in ferendo, quàm feriendo perspicitur.

Quis primarium est fortitudinis officium, & 2. internum habitum magis respicit & indicat, quàm istud alterum. 3. Ferre etiam audax potest, sed non ferre.

4. Quò quis magis virtute fulget, & dignitate, eò minus dolet ob mortem.

Vir fortis dupliciter consideratur respectu mortis. 1. quatenus agit, quod honestum est; & sic letatur potius, quàm ut doleat. 2. quatenus variis exiit bonis, quibus prodesse poterat; & sic tristatur quidem, sed honestatis desiderio, & turpitudinis fugâ mortem constanter appetit, ut qui malum superaverit, si non corpore, tamen animo.

5. Non pugna sed causa virum fortem efficit.

Etenim absq; justâ & fonticâ causâ pericula adire non est viri fortis, sed audacis & temerarii: Animus verò generosus leviores injurias contemnit; graviores legitimè vindicat, semperq; animi constantiam servat.

6. Duella non sunt licita.

Putat, si privata vindicta & inanis gloriose cupid.

piditate, citra aut contra Magistratus mandatum
aut permissum ineantur; Quod si verò inter ho-
stes pro Reip. libertate, aut Ecclesie salute susci-
pantur, adcoq; rationem habeant vindictæ publi-
cæ, quæ fuit Davidis cum Goliatho &c. non im-
probantur legibus.

7. Non omnistimor est culpabilis.

Is nimir. qui natura instinctu, & legum per-
missu exeritur, ac circa formidabilia supra homi-
nem versatur, non est reprehendendus: servilis
autem, & qui circa formidabilia secundum homi-
nem est, & quidem in excessu, jure reprehenditur.

8. Plus nocet homini cibus immodicè
sumtus, quàm nimius potus.

Quia difficilius concoquitur, & ægrius transit
ac digeritur. Inde Hippocrates in Aphorism.
cibum præter naturam ingestum varios efficere
morbos asserit. Sanitatis studium est, inquit Avi-
cenna, semper cum fame quodammodo à mensâ
recedere. Vid. Ranzov. de conserv. valetud. c. 7.

9. Cõvivia inter Christianos sunt licita.

Quia faciunt 1. ad animorum mutuam con-
junctionem. 2. amoris & candoris probationem &
& confirmationem. 3. beneficentiæ ac liberalitatis,

ut & gratitudinis testificationem, & 4. virium corporis ac animi recreationem, & c.

10. Homo temperanter vivendo vitam suam prolongare potest.

Quia contra facientes fata sua sepius anticipant: dum sua aetia calorem nativum extinguunt, morbos varios ex cruditatibus ortos attrahunt, adeoque sibi praematura mortis causa existunt, teste scriptura & experientia.

11. Ebrietas non est ebrietate curanda.

Ita quidem gulonum nonnulli & symposiarum censent; secuti consilium Poetae cujusdam recentioribus Joh. Jacobi Boissardi:

Cōquereris multo stomachū languore teneri,
 Qvòd gula propositas respuat ipsa dapes,
 Cōsiliūq; petis? quis aper tibi vulnera fecit,
 Emplastrum ex eius tu tibi sume pilis.

Verum consilium nos perniciosum, & à recta ratione alienum putamus. Nam quid hoc aliud est, quam vitio vitium addere, naturam magis corrumpere, & in aetiam, pessimumq; habitum prolabi? A quâ peste, ut omnis aetas, ita maxime juvenus, salutis suae verè cupida, sibi summoperè cavere debet.

RE-

RESPONDENTI.

*Discipulo & inquilino meo
dilecto*

τῆς εὐσεβείας καὶ παιδείας προκοπὴν!

Incluta quem penes est *virtus*, *benè dives* ha-
Iro pauperior sit licet, atq; miser. (bendus,
Nil tibi *divitiæ* profunt, nil splendor honoris,
Nî *virtus* faciat, *dives* ut esse queas,
Efficit hæc *fortes*, cunctos & *temperat* ausus,
Ut *medium* felix esse tenendo queas.
Hanc quia vestigas, **W**OLDREICHI, mente sa-
Divitias animi *poscis* habere graves. (gaci,
Pergito sic *fortis*, *moderatus* & esse subindè!
Crede mihi, felix & *benè dives* eris.

paterno animo subiciebam votivus

P R Æ S E S.

CHRISTIANUS VVOLDREICHIUS,
TEUTOMARSIUS.

per anagr. ἐμμετρον:

NISU ARTIS STACTES LIVOREM
DUC: IUVO RISU.

ECHO.

Quæ colis umbrosos ECHO inter saxa reces-
Facisq; ripas aridas, (ius,
Mutaq; saxa loqui. Te

Te volo Melpomene: ECH. Mene? est ita, diva

ECH. Quare? fonos nunc audio (loquere:

Nescio quos? ECH. scio quos.

Scin' quos? O liceat paucis modo discere cau-

Et te scientem quærere (fas,

Collibeat? ECH. Libeat.

Principio: ECH, Incipio. Strepitus, audisne tu-

E. Multum: quid intus, disputant? (multū?

Fare age Nais. E. Ais.

Huic sine solenni tentem præconia festo?

E. Esto. Probè'n' ad nominis

Culmina vadit? E. Adit.

VVOLDREICH ad STACTES decus AR-

TIS nititur? E. Itur.

Dic Nais, annon, garrula

NISUS hic egregius?

E. Regius. At laudes quæ sunt hoc tempore

E. Arte. Hæcne dantur præmia (partæ?

Ex merito? E. Merito.

Sic annos poterit felices vivere? E. Verè.

Mille? E. Ille. Patriæ & feret

Dulce levamen? E. Amen.

LIVOREM interea captivum DUC, IUVO

Pereatq;, famam Nominis (RISU.

Qui petit ore tuam.

Christianus Hoffmannus, Hallens.

F I N I S.

65604

Handwritten text, possibly a title or description, partially obscured by the label.


ULB Halle


3

007 397 542



VD 17





B.I.G.

Farbkarte #13

Inches

Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Fortunante CHRISTO!
 TATIONUM ETHICARUM
 lib.III. Ethic. Nicom. Arist.
 QUARTA
 DE
RTITVDI-
E ET TEM-
PERANTIA,
 PRÆSIDE
 DN.
ERICO CAHLENO
 C. Gymnasii Hallensis Recto-
 simo, Præceptore ac Hospite suo
 perpetuâ animi fide colendo.
 RESPONDENTE
TIANO WOLDREICHIO,
 DITHMARSO,
 enas Rostochiensis abituriente
 P. P.
 AL. MARTI, A.O.R. CI) I)C LVI,
 H. L. Q. S.

 Prelo SALFELDIANO.